Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



mnabatur machabeus. et eleazarum qui cognominabatur abbaro et Jonathan qui cognomnabatur apphus. Hu uiderunt mala que fiebant in populo iuda. et iherusalem. Et dixit mathathias. Ve mihi ut quid natus sum uidere contricionem populi mei. et contricionem ciuitatis sancte. et sedere illic cum daretur in manibus inimicorum. Sancta in manibus extraneorum facta sunt. Templum eius sicut homo ignobilis. Vasa gloriae eius captiua abducta sunt. truncati sunt senes eius in plateis et iuuenes eius ceciderunt in gladio inimicorum. Quae gens non hereditauit regnum eius. et non obtinuit spolia eius. Omnis compositio eius ablata est. Quae erat libera facta est ancilla. ecce sancta nostra. et pulchritudo nostra et claritas nostra desolata est. et coinquinauit eam gentes. Quid ergo nobis adhuc uiuere. Et scidit uestimenta sua. et filii eius uestimenta sua. et operuerunt se. et ceciderunt in uiam. V

Et uenerunt illuc qui missi erant a rege antiocho. ut cogerent eos qui confugerant ad ciuitatem modyn immolare et thura accendere. et a lege dei discedere. Et multi de populo israel consentientes accesserunt ad eos. Sed mathathias et filii eius constanter steterunt. Et respondentes qui missi erant ab antiocho rege dixerunt machathae. Princeps et clarissimus et magnus es in hac ciuitate et ornatus filius et fratribus. Ergo accede primo et fac iussum regis sicut fecerunt omnes gentes et uiri iuda. et qui remanserunt in iherusalem. et eris tu et filii tui inter amicos regis. et ampliificabitur argento et auro et munibus multis. Et respondit mathathias et dixit uoce magna. Et si omnes gentes regi antiocho obedierint ut discedant unusquisque a lege patrum suorum. et consentiant mandatis eius. ego et filii mei et fratres mei obediemus legi patrum nostrorum. Propitius sit nobis deus. Non est nobis utile relinquere legem et iustitias dei nostri. Non audiemus uerba regis antiochi. nec sacrificabimus transgredientes legis nostre mandata. ut eamus alterna nia. Et ut cessauit loquens uerba hec. accessit quidam iudeus in omnium oculis sacrificare uoluit super aram in ciuitate modyn secundum iussum regis antiochi. Et uidit mathathias et doluit et contremuerunt renes eius. et accensus est furore eius secundum iudicium legis et insiliens trucidauit illum super aram. Sed et uirum quem miserat rex antiochus qui cogebat immolari occidit in ipso tempore. et aram destruxit. Et zelatus est legem sicut fecit finees. et ambri filio salom. Et exclamauit magna